



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

55. An in aliquo casu, executore non assignato, Episcopi sint executores testamentorum, v. g. si testator reliquerit legatum pro redemptione cap[...].uorum, vel pro eleemosynis, & alimentis pauperum? ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

Episcopum tanquam si ipse esset Executor testamentarius: Et p. 8. tr. 5. Ref. 61.

Sup. hoc supra in Ref. 46. §. ult.

§. 1. **A**ffirmatiue respondet Fagundez, de contr. l. 6. c. 4. n. 11. vbi docet, quod si testator relinquat aliquem, non quidem testamentarium, aut executores sui testamenti, sed electorem pauperum, inter quos aliqua elemosyna distribuenda sint, aut puellarum, vel orphanorum, vt nuptiis tradantur, aut loco, vel Ecclesie, in quo Capella aliqua sit edificanda, & intra annum, aut sex menses, non eligat, dubitant aliqui, vtrum eo tempore elapso, ius eligendi eo ipso deuoluatur, ac transeat ad Episcopum; Bart. & Panorm. in c. 3. de testam. n. 12. Negant. Ratio illorum est, quia in eo casu non est executor testamenti, sed elector, iura autem solum loquuntur de executoribus, & sunt poenalia, quia eos officio priuant, si intra tempus lege prescriptum voluntatem defuncti non expleuerint. Affirmant, & rectius Molina tom. 1. de iust. disp. 251 §. postremum dubium. Syluest. verb. testament. 2. q. 8. pronunc. 2. Couar. in c. 2. citato, n. 3. & est communis Doctorum sententia. Fundamentum est quia in eo euentu electio coincidit cum executione; & munus electoris cum munere executoris cum in euentu electio sit quasi pars quadam executionis ad eam requisita; quod fit vt iura quae executionem deuoluunt ad Episcopum, propter negligentiam executorum intra annum, aut sex menses, idem intelligere debeant de huiusmodi electione.

RESOL. LV.

An in aliquo casu, Executore non assignato, Episcopi sint Executores testamentorum; v. g. si testator reliquerit legatum pro redemptione captiuorum, vel elemosynis, & alimentis pauperum?

Et an in ceteris alijs casibus, & causis pijs, Executore non creato, ad heredem, & non ad Episcopum Executio pertineat? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 41.

§. 1. **N**egatiuam sententiam docet P. Vvadingus Societatis Iesu, tract. de contrah. disp. 1. 4. dub. 13. §. 5. num. 3. vbi sic ait. Difficultas est, an, & quomodo sint Episcopi executores piarum voluntatum; Resp. primo non esse, nisi quando testator non prouidit sibi de alijs executoribus; quando enim sunt alij, vnus, vel plures constituti, aut substituti, qui officium exequi velint, & possint, Episcopus non se immiscet. Ita passim Doctores Panormi. *Supr.* Iacob. à Canibus in tract. de execut. Ioan. Iuriconf. in eod. tract. dicit, Episcopum nullo modo esse executores immediatos, sed tantum in defectum; quando non sunt alij designati siue heredes ipsi, siue alij. Duo ergo sunt casus, in quibus executio deuoluitur ad Episcopum; vnus, quando testator neminem constituit, & ille est casus nulli, C. de Episcopis. Sed ibi tantum de causis pijs disponitur, nam in testamentis ad causas prophanas, nec Episcopus, nec secularis iudex immediatè se immiscet, cum testator non constituendo alios executores, tacite voluerit heredem ipsum esse executores, ad illum enim spectat implere voluntatem defuncti circa legata, vt bene Couar. in cap. 3. de testam. n. 8. & idem extendit ipse ad causas omnes pijs, excepto legato pro redemptione captiuorum, propter Authent. tit. de Eccles. tit. §. si quis adificationem, & §. si quis autem secutus Panorm. in cap. nos quidem n. 4. & in cap. si heredes, num. 6. de testam. & illis adherent recentiores. Sed non video satis solidum fundamentum in iure, aut in praxi: haeres enim nullo alio executore constituto est executor, & ipse legataris soluit. Si ergo legata pia, etiam illa, quae sunt ad redimendos

captiuos, & alendos pauperes velit ipse per se distribuere, non video cur Episcopus possit hoc illi prohibere, & mandare, vt ad se ferat distribuenda, modo sit paratus postea Episcopo, aut iudici probare, se secundum mentem testatoris dedisse omnia; nam in casu, quod haeres vult exequi, non est verum, testatorem nullum reliquisse executores; nam quando haeres, ad quem solutio legatorum pertinet, vult praestare, censetur executor, proinde iura puto intelligenda, quando nec formaliter nec virtualiter est datus executor: in praesenti autem haeres est datus executor. Ita Vvadingus.

2. Sed proflus haec opinio est reiicienda: & idèd affirmatiuam sententiam docet Layman. lib. 3. tract. 5. cap. 11. n. 1. vbi ita asserit. Si nullus testamenti executor à testatore nominatus est; ad heredes executio pertinet, etiam quod attinet ad legata pia, sicuti colligitur ex cap. nec quidem & cap. si heredes, de testam. Excipiuntur tamen legata pro redemptione captiuorum, & alimentis, siue elemosynis pauperum: horum enim executio Episcopum, tanquam patrem pauperum, & miserabilium personarum, si nullus alius executor relictus est, spectare debet. Ita ille. Sic etiam docet P. Molina de iust. tom. 1. tract. 2. disp. 247. n. 3. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 3. tit. 1. n. 21. Valq. opus. de test. cap. 5. §. 3. dub. 4. n. 83. Fagundez de contr. lib. 6. c. 1. n. 5.

3. Dicendum est igitur, quod in legato relicto pro redemptione captiuorum, in quo, executor, seu commissario à testatore non assignato, executio ad Episcopum (excluso testatoris herede) spectat, vt decisum extat in dicta Authent. de Eccles. tit. §. si quis autem pro redemptione captiuorum, &c. reliqueris, & in dicta Authent. de Episcopis, & Clericis.

4. Quare autem captiuorum redemptio ad Episcopum pertineat (nullo dato executore) & non ad heredem: quemadmodum in adificatione Monasterij, vel Oratorij & similibus operum, de quibus in d. §. si quis adificationem, illa, inquam, ratio videtur esse, quoniam in praedictis operibus annus, & maius tempus conceditur; in redemptione autem captiuorum maior celeritas, fides, & industria desiderantur, vt captiui à captiuitate redimantur, idèd summa consideratione, & praueuentione redemptio (executor non assignato) Episcopo à iure iniungitur, & non heredibus, vt ea breuius, & expeditius consequatur, reiectis heredum dilationibus.

5. Idem dicendum est circa pauperum alimenta, quoniam non nominatim executor relicto (heredibus testatoris exclusis) ad Episcopum executio pertinet; quemadmodum praecedenti casu asseruimus, ex d. §. si quis autem pro redemptione captiuorum, in princ. ibi, aut alimentis pauperum, & inferius, & non nominatim testator dixerit: Panorm. in dicto c. 3. de testam. n. 4. Molina dicta disp. 247. num. 4. verb. atque haec opinio placet. Et huius eadem videtur ratio quam antecedenti casu pro redemptione captiuorum assignauimus, quoniam in alimentis pauperum maior celeritas requiritur, illa enim nullam dilationem expectant, & idèd sanctissimis, & confidentibus Episcopis (excluso herede) executio conceditur, vt necessitati huiusmodi celeriter Episcopi subueniant; quod non ita praesumitur in herede, interesse ex hereditate postulant. Et haec omnia docet etiam Carpius de execut. testam. lib. 1. cap. 22. n. 15. Vnde proflus non est audiendus Vvadingus, cum loquatur contra communem sententiam Doctorum. In ceteris autem causis pijs praeter redemptionem captiuorum, alimenta pauperum, executor non creato, ad heredem, & non ad Episcopum executio pertinet.